



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XV. JULII.



Arisis, a. d. 21. Junii.

Quantumui omnes in vrbe nostra de summa rei pecuniarix inopia querulenter tamen nihilominus vestitui ni-

mio, iuniores inprimis exvtroque sexu non indulgere nolunt. Et quod nunquam antea, id nunc apud nos videas. Nimirum, non satis est armari viros; jam & scemina nobiliores, inprimis vero curiales, * gladiis, quorum baltea cum vaginis aurata, quin & gemmis atque adamantibus distincta sunt, accinctæ passim in celebritate versantur, magnoque sibi honori ducit prima noui huius ornatus inuentrix. quod quamplurimas naçta sit sui imitatrices. * *Hof Dames.*

Londini, a. d. 21. Junii. Navis, cui a

Gilberto nomen est, ex India rediens, die 24. mensis præterlapsi, cum iam in sinu Sabrinæ * esset, a pirata Algeriano, qui nauem habebat triginta octo instructam tormentis, & viris quadringentis ornatam, capta fuit. Quam prædam opinam barbari duobus præfectis & tredecim remigibus Algeriam traducendam tradiderunt. Cum vero non longe iam ab Africæ litoribus abessent, navis dominus, quem vna captivum abducebant, callido vsus consilio felicissime eam recuperavit in Angliamque reduxit, iamque Tamesis ostia subiisse dicitur. Ad cohibendos latrones qui hoc tempore vias illas infestas reddebant, quibus ad castra, in viuario Heyde. Parc posita, commeare solent, compluribus in locis militum collocari oportet.

oportuit præsidia, quippe quum & præfecti militum nonnulli a prædonibus fuerint spoliati.

* *Golfo de la Sauerne.* latine alias dicitur *Manica*

Bristolensis itemque *Aestuarium S Georgii.* Germaniæ *Der Caval von Bristol.*

Alia, a. d. 16. Junii. Sinderus, vir artis Medicæ atque Chirurgicæ peritissimus, qui longo tempore apud Mexicanos captivus fuit detentus, artem adinvenisse dicitur præparandæ Coccionellæ, quam a duobus iam seculis Hispani soli cognitam habuerunt. Rex noster virum hunc magnis muneribus afficere decrevit, si artem, de qua gloriatur, & quæ genti nostræ magno futura esset commodo, non in aniter iactaverit, Anglosque docuerit. Est vero Coccionella pretiosissimus color purpureus, ex culicibus torrefactis expressus, panno, serico, quin & corio tingendo aptus. Culices hos, cimicibus non multum absimiles, certisque arboribus, quæ ficibus compariles sunt, insidentes, magno numero colligere solent Indiæ occidentalis populi. Neque vero sola India hunc sibi vindicare potest colorem, cum & in regionibus Europæ is præparari queat. Notissima est etiam vulgo herba, *Polygonon* dicta, quam & Sanguinariam, siue Sanguinalem vocant. In huius radicibus æstivo tempore, imprimisque circa Johannis diem, grana reperiuntur rubra, quæ a plebe superstiosa, sanguis Johannis appellari solet, cum tamen sint vermium ouula, ex quibus deinde æstu solis ingraescente vermes progenerantur, quorum sanguine, lana, sericum aliæque id genus res, tingi possunt. Quæ Golcestræ erecta est regis nostri Statua, illam homines nefarii die 13. mensis, quo vivimus, nocturno tempore adgressi sunt, brachiumque alte-

rum auulserunt, iamque septem illorum, in quos hoc maxime convenire videtur, in vincula publica sunt coniecti. Incendio, quod nuper hic fuit exortum, 30. domus duæque præterea naues sunt consumptæ, damnum autem quod inde acceperunt nostri, quadraginta librarum Sterlingicarum millibus, hoc est, plus minus ducentis numerorum, quos Imperiales dicimus, millibus, æstimatum est.

Roma, a. d. 20. Junii. Superiori hebdomade *Marchio* Almenara Pro-Regis Siciliae dignitate ab Imperatore ornatus, in hanc venit urbem, quem postea Eminentissimus Cardinalis Althanius laudissimis excepit epulis.

Neapoli, a. d. 23. Junii. Eminentissimus Cardinalis Althanius qui Pro-Rex nobis ab Imperatore datus est, hesternæ die, cum iam advesperasceret, ad urbem nostram accessit, festivis tormentorum explosionibus exceptus. Eum postea omnes regiminis administri honorificentissime salutarunt atque in Palatium Pro-Regi destinatum maxima pompa deduxerunt. Erat in ejus comitatu *Marchio* Almenara in siciliam proficiscens.

Ex Holsatia, a. d. 23. Junii. Litteris Petroburgo allatis nuntiatum est, præfectum quendam militum a Magno Moscoviæ Duce missum in eam venisse urbem, significasseque, Magnum Ducem etsi longe absit Petroburgo, nondum tamen statuisse, Astracanam ne proficisci an Petroburgum redire debeat. Quapropter fama iam exiit, si Astracanam fuerit profectus, Persiam hoc anno bello oppugnaturum esse, si vero Petroburgum libuerit redire, longe alia spectare omnes eius, qui maximi omnino sunt, apparatus bellicos. Ceterum sunt, qui adfirmant, Persiæ regem, non Tartaros solum, sed etiam *Carduelia* atque *Gacheti*, principes, qui eius sunt in Georgia

gia clientes fiduciarii, quos *Vasallos* dicunt, ad arma euocauit, vt Russorum eo melius resistere possit conatibus, illorumque retardare impetum.

Alia, a. d. 29. Junii. Litteræ, quas nouissimo tempore ex Suecia accepimus, nos docuerunt, regem in Scnatiam esse profecturum, copiasque suas quæ ibi sunt lustraturum, Petroburgo autem accepimus, nuntiatum illuc esse ex Moscouia, Magnum Ducem iter in Astracanam regnum certo esse suscepturum, neque prius, quam elapsis 8. mensibus rediturum, quo tempore Magni Ducis coniugem cum Principe Menzikoffio filiabusque suis, Petroburgo quorsum nunc proficiscetur, redire iterum Moscuam ibique hiemem transigere oportebit Ex finibus Persiæ Moscuam nuntium allatum esse ferunt, regem, cum ad obsequium reducere vellet rebelles, cum vniuerso fere exercitu esse delectum.

Hafnia, a. d. 23. Junii. Qui Russorum apud nos rebus inuigilat, cum sanctioris consilii proceribus, duas fere horas, die hesternâ, tempore ante meridiano fuit in colloquio, post prandium autem ad Lentheum, qui regi a secretioribus est consiliis, accessit, eadem, quæ mane in consilio proposuerat, iterum iterumque vrgens: sunt, qui existimant, accepisse eum in mandatis, vt de libera per fretum orefundicum nauigatione, Russis concedenda, cum rege nostro transigaret, quam si obtinere potuerit Magnus Moscouiæ Dux, effecturum se pollicetur vt Holsatiæ Dux omni suo in Ducatum Slesvicensem iuri renuntiet, regique Daniæ illum relinquat; sed frustra adhuc esse omnem illius conatum aiunt.

Posonii, a. d. 15. Julii. Imperator Augustissimus, Rex noster indulgentissimus, totus in eo est, vt, quemadmodum sponte sua Hungaria se tototus Augustissimæ Domus Eius imperio, perpe-

tua eaque Filiarum etiam seruato iure Primogenituræ, Successione stabiliendo, subiecerunt, ita Is quoque nihil, quod ad promouenda regni commoda pertinere visum fuerit, se neglecturum, sanctissime pollicetur regni Statibus. Cuius rei documento sunt imprimis *Propositiones* illæ, quas prima statim post accessum die, Statibus ac ordinibus Inclytis, publice obtulit. quas hic summam tantum exponere visum est.

1. Collaudata Inclytorum Regni statuum ac Ordinum, in transferendo Successionis iure in sexum etiam foemineum promptitudine, Imperator Augustissimus, Rex noster clementissimus, Successionem hanc Filiabus suis oblatam ad eum, quo in aliis suis hæreditariis Regnis ac ditionibus ordinata iam est, modum, se ordinaturum, ipsorumque Statuum ac Ordinum iura, libertates, priuilegia, immunitates, consuetudines, prærogatiuas & leges hucusque concessas, conditas, aut in præsentibus Comitibus vel futuro etiam tempore publice condendas, benignissime conseruaturum adpromittit.

2. Quia pacis tempore de bello cogitandum est in republica bene constituta, vt Status & Ordines Hungariæ de propugnaculorum Patriæ, victricibus suæ Majestatis armis bello proximo feliciter auctæ ac dilatatæ munitione, præsidiorum militum stipendiis operarumque necessariorum præstatione pecuniarum item quas gratuitas vocant submiratione publice deliberent, clementer desiderat.

3. Quia iustitia & æquitate regna quam maxime firmantur, Status & Ordines Regni Paternæ adhortatur, vt *Systema nouum Juridicum*, quod delectis quibusdam elaborandum imperauerat, ita concinnetur, vt omni prorsus ambiguitate & obscuritate careat, neque quis

quisquam eo fraudulenter in litibus protrahendis, abuti possit. Ex præscripto Articuli 24. Diætæ nouissimæ.

4. Aliud etiam *Systema*, quod per *Articulares Commissarios* elaborandum mandauit, sibi, Stante hac præsentî Diætâ ad examinandum offerri cupit, vt sic *Commissiones Articulares* in vltima Anni 1715. Diætâ ordinatæ, siue iam inchoatæ fuerint, siue non, quamprimum fieri poterit, terminentur.

5. Vt de æqua iustitiæque conuenienti singulorum Comitatum conscriptione in præsentibus Comitibus Status & Ordines Regni deliberent, ne in posterum alii præ aliis aggraentur, quemadmodum adhuc factum fuisse plurimi querulantur.

Reliqua in posterum adjiciemus.

Alia. Superiori die solis in facello aulico, præsentè Augustissimo Imperato-

ILLVSTRISSIMO ANDREÆ KVRTÖSI Episcopo Tragvriensi
SECUNDAS PRIMITIAS IN AVGVSTA CÆSARIS PRÆSENTIA
Peragenti.

Andreas. An ardes?

Epigramma.

ARDENTI PHŒNIX se Consecrat Igne senescens,
Sacrificans Mirè pvlchrior esse solet,
ALTER es ANDREA PHŒNIX ! ardescis, & hocce
pvlchrior In senio te bene sacrificas.

Nudius abhinc tertius, curas, quæ sibi regni sui hæreditarii causa, incubant, venatione dispunxit Imperator in ea regione quæ Stampfæ proxima est, sumto inibi prandio, rediitque incolumis sub ipsum crepusculum vespertinum. Hodie vero hora 6. postmeri-

diana ad lustrandas legiones, quæ ad orientalem vrhis oram castra metatæ sunt, vna cum Augusta exiit, stipante eum præter corporis custodes, Magnifico Procerum Aulæ ac Regni Comitatu. Proximo die veneris vrbi & Regno, bono cum Deo valedicturus est.

Illustr. Vir, D. Joannes Carolus Newen, Colon. Cæsareus Aulicus Poëta Laureatus, centuriata Hungariæ Comitata divino cohonestavit Elogio; in immortalem Patriæ gloriam, & Vatis commendationem.

Prostant hic apud Typographum Orationes aliquot typis expressæ, occasione Comitiorum publice a variis Regni Proceribus recitatæ.